ut ne idem esset pater et filius, si deus pater de homine
nasceretur. Aug. in ecclesiasticis dogmatibus. Non pater carnem
assumpsit, neque spiritus sanctus, sed filius tantum, ut qui erat in divinitate
filius dei, ipse fieret in humanitate hominis filius. Ne filii
nomen ad alterum transiret, qui non esset aeterna nativitate
filius. Dei ergo filius hominis factus est filius, natus
secundum veritatem naturae ex deo dei filius, et secundum veritatem naturae ex
homine hominis filius, ut veritas geniti non adop-
tione, non appellatione, sed in utraque nativitate
filii nomen nascendo haberet, ut esset verus deus et verus
homo unus filius. Non ergo duos christos neque duos filios,
sed deum et hominem unum filium confitemur. Quem propterea
unigenitum dicimus, manentem in duabus substantiis, sicut ei naturae